



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

Sect. 1. An possit ratione naturali demonstrari entia creata in suo esse
semper de pendere ab actuali influxu primæ causæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

quia ascendendo versus initium, nunquam reperitur terminus in illa duratione; non vero à parte post, quia in quocunque instanti signato in illa eternitate posset Deus cessare ab illius rei conseruatione, & ante quolibet signatum in quolibet etiam signabili posset cessare pro suo arbitrio. Cetera de hac materia in 8. Phisic. remittimus.

DISPUTATIO XXI.

De prima causa efficiente, & altera eius actione quæ est conseruatio.

Explicata prima emanatione omnium rerum à prima causa, dicendum sequitur de dependentia, quasi continua; seu perpetua, quam in suo esse & operatione habent ab eadem prima causa; seu e conseruo de influxu; vel gubernatione, quam eadem prima causa habet circa suos effectus quos creauit, vt subsistere possint & operari: ad hæc enim duo capita, conseruationis, & cooperationis seu concursus, tota diuina gubernatio, quæ effectus est diuinæ prouidentie, reuocatur. In hac ergo disputatione de priori capite, in sequenti de posteriori dicemus. Circa conseruationem autem, duo præcipue videnda sunt, nimirum quæ sit necessitas eius, & quomodo à creatione seu productione distinguatur.

SECTIO I.

An posstratione naturali demonstrari, entia creatâ in suo esse semper pendere ab actuali influxu prima causa.

Primum quidem videri potest non ita pendere, quia antequam res accipiat esse, mirum non est si ab alio pendeat in fieri: quia cum ex se non habeat esse, non potest illud habere donec ab alio recipiat, quod est rem fieri: at vero postquam res semel accepit esse, iam non est cur ab actuali influxu alterius continuo pendeat, quia hic actualis influxus est quasi continua quædam, seu potius repetita collatio ipsius esse. hæc autem non solum non videtur necessaria, verum etiam superflua: nam quolibet res retinebit esse semel sibi datum, etiam si amplius non detur, dummodo non auferatur. Nulla enim res se ipsam priuat suo esse: ergo si semel detur, illud, quantum est ex se, perpetuo retinebit, etiam si amplius actualiter non conseruatur, dummodo posstratione seu per aliquam actionem contrariam non auferatur. Et confirmatur hoc maxime in entibus incorruptibilibus, quæ sunt entia necessaria & de se, eisque per se conuenit esse: ergo non indigent actuali conseruatione vt sint, quia licet conseruatio cesseret, nulla causa saltem extra Deum potest exercere actionem circa illa, qua ipsa priuet suo esse; neque ipsa priuabunt, cum hoc propria naturæ repugnet. Atque eadem ratio procedit de entibus corruptibilibus, saltem quando à contrariis agentibus non corrumpuntur.

Secundo videri saltem potest, non posse aliud probari ratione naturali, quia nec ex potentia Dei, neque ex indigentia creaturæ id satis ostendi potest. Prior pars probatur, nam potius videtur pertinere ad potentiam Dei vt possit tales effectus facere, quia postquam facti sint, in suo esse permanere, etiam si agentis operatio cesseret: sicut spectat ad industriam & potentiam humani artificis vt tam firmum faciat ædificium, quod perpetuo permanere possit post finitam actionem artificis: non ergo repugnat hoc o-

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

mnipotentie Dei neque ex illa potest oppositum colligi. Altera pars vero probata est ex priori argumento: indigentia enim creaturæ in hoc solum videtur consistere vt non possit habere esse nisi ab alio datum: non vero in hoc, vt non possit retinere illud, nisi continuo detur. Et confirmatur, nam si quæ esset vniuersalis imperfectio creaturæ, ob quam indigeret hac conseruatione, maxime quia non participat esse à Deo cum æqualitate, vel cum eadem perfectione, qua est in Deo: at hæc ratio nullius momenti est, tum quia etiam si esse creaturæ hoc modo esset independentens, non propterea esset æquale, nam adhuc esset aliis infinitis titulis inferius: tum etiam quia neque è contrario sequitur, si esse effectus perfectione sit inferius esse causæ, debere etiam esse actu pendens: nam in causis secundis oppositum accidere videmus: aurum enim fit à sole cum quodam esse minus perfecto, in quo tamen non pendet in conseruari ab ipso sole. Et calor conseruatur cessante actione ignis, etiam si non perueniat ad perfectionem caloris ignis. Et domus ad extra est longe diuersa & inferioris rationis ab idea domus, quam artifex habet; & nihilominus permanet cessante influxu artificis: cur ergo non poterit idem dici de effectibus primæ causæ? aut quæ singularis ratio in illis poterit assignari?

De hac quæstione inter Theologos nulla est de hac re opinionum varietas. Quamuis qui negant Deum immediate operari in qualibet actione creaturæ, cogentur sine dubio negare rem omnem creatam, seu omne ens per participationem, pendere immediate ab actuali influxu Dei, quia quod non pendet in fieri, neque in esse pendeat. Sed de falso illius opinionis fundamento, disputat sequenti dicendum est. Nunc ergo licet potissimum agamus de effectibus qui à Deo immediate creantur & fiunt; tamen vt vniuersalis sit disputatio, quoniam est omnium ratio eadem, supponimus omnia à Deo immediate fieri, etiam si non semper ab illo solo fiant. Rursus qui negant creationem rerum posse probari ratione naturali, multo magis negabunt posse probari necessitatem conseruationis. Seg illud fundamentum iam est à nobis improbatum. Tamen adhuc supposita demonstratione necessitatis creationis, non est facilis ad probandum necessitas conseruationis.

Resolutio quæstionis.

Dicendum tamen est, omnia entia extra Deum pendere in suo esse ex diuina conseruatione. Hæc assertio sub his terminis certissima est, & de fide, Traditurque frequenter ab Ecclesiæ Patribus, præsertim ab Augustino libr. 4. Genes. ad liter. capit. 12. vbi tractans illa verba Genes. 2. Et requieuit Deus die septimo ab vniuerso opere quod patrarat, ait, intelligenda esse de requie à nouis operibus ex nihilo condendis, non vero à conditis gubernandis & conseruandis. Alioquin (inquit) continuo dilaberentur. Creatoris namque potentia, & omnipotentis, atque omnitenentis virtus, causa subsistendi est omni creature. Quæ virtus ab eis, quæ creata sunt regendis, si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque natura consideret. Neque enim, sicut structuram adium cum fabricauerit quis, abscedit, atque illo cessante atque abscedente stat opus eius; ita vel in actu oculi mundus stare poterit, si Deus ei regimen sui subtraxerit. Quod tamen ratione non probat, sed scripturæ testimoniis confirmat, Actor. 17. In ipso viuimus, mouemur, & sumus, Sapient. 7. Omnis mobilis mobilior est sapientia: attingit autem vbique. Et cap. 8. Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Ioan. 5. Pater meus vsque modo operatur. Quæ verba exponens idem August. lib. 5. Genes. cap. 20. Sic (inquit) credamus, vel si possumus, etiam intelligamus, vsque nunc operari Deum, vt si conditis ab eo rebus operatio e-

T

ius

us subtrahatur, intereat. Et libr. 9. capit. 15. idem recit.

V.

Eandem veritatem docet Gregor. Nazianz. orat. 2. de Theolog. quæst. 36. ubi soluens sextam obiectionem, exponit supra citata verba Ioan. 5. dicta esse ratione gubernationis, & conseruationis rerum: & Damascen. lib. 1. cap. 3. Ipse (inquit) rerum conditorum compages, & conseruatio, atque gubernatio Deum esse qui vniuersam hanc rerum molem coagulat, & eamque tuetur & conseruet, &que perpetuo proficiat, nos docet. Et Gregor. 16. Moral. cap. 18. Aliud (inquit) est esse, aliud principaliter esse, aliud mutabiliter, atque aliud immutabiliter esse. Sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt, quia in semet ipsis minime subsistunt. Et nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt. Et infra: Cuncta quippe ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursus ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu teneret. Et in hunc modum videtur intelligere illa verba Iob. 23. cap. Deus solus est, scilicet principaliter, & absque dependentia ab alio. Quo sensu putat esse dictum Exodi 3. Ego sum qui sum. Vnde homil. 17. in Ezech. Deus (inquit) incomprehensibiliter regit quæ incomprehensibiliter creauit. Et infra: Ipse est interior & exterior, ipse inferior & superior, regendo superior, portando inferior, replendo interior, circumdando exterior, sic circumdat ut penetret: ita præsidet ut portet, sicque est intus ut portet: ita portat ut præsidet. In quibus verbis alludere videtur ad illa Hebr. 1. Portans omnia verbo virtutis sue: nam illud portare, idem videtur esse quod conseruare. Quod apertius dicitur Sap. 11. Quomodo posset aliquid permanere nisi tu voluisses? aut quod arte vocatum non esset conseruaretur? Denique Anselm. Monolog. cap. 12. Dubium (inquit) non nisi irrationabili mentis esse potest, quod cuncta, quæ facta sunt, eodem ipso sustinente vigent, & perseverant esse quamdiu sunt, quo faciente de nihilo habent esse quod sunt. Et infra: Sicut nihil factum est nisi per creatricem præsentem essentiam, ita nihil vigeat, nisi per eius seruatricem potentiam: quod prosequitur in cap. 13. & tacite ita exponit id ad Rom. 11. Ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia, & ad Coloss. 1. Omnia in ipso constant. His enim & similibus Scripturæ locutionibus rerum conseruationem in Deo, id est in diuina virtute & efficacia niti significatur.

VI.

Ratione naturalis demonstrari potest conclusio.

Ex his ergo satis constat, veritatem hanc certam esse infallibilem; addendum vero est, posse sufficienti ratione probari, vel etiam demonstrari, quod ex dictis Patribus Damascenus & Anselm. apertius docuerunt, sentiuntque, quæ ratione probatur Deum esse creatorem omnium, probari etiam esse conseruatorem; quæ tamen conseruatio nec ex terminis videtur euidens, nec omnino facilis. Eam vero tacite probat D. Thom. 1. p. qu. 8. art. 1. & latius qu. 104. art. 1. ubi longum & valde Metaphysicum habet discursum, qui plures patitur difficultates, quas ibi Caietanus diligenter tractat. Summa totius discursus est, quia Deus est causa creaturarum non tantum quoad fieri, sed etiam quoad esse directe & per se primo: quando autem effectus pendet à causa sua, quoad esse directe & per se primo, pendet non solum in fieri, sed etiam in conseruari, ita ergo pendet omnes à Deo.

VII.

Vt vero sensus totius antecedentis intelligatur, obici statim potest, quia in maiori videtur peti principium, & assumi quod probandum est: quid enim aliud esse potest pendere effectum in esse à causa, nisi pendere in conseruari? Idem ergo est dicere Deum esse causam fieri & esse, quam dicere Deum esse causam in fieri & conseruari: ergo sumitur quod probandum est. Aliàs vana est diuisio causarum, quod quædam sunt causæ fieri suorum effectuum, quædam vero sunt causæ ipsius esse. Nulla enim est causa, quæ propriè per se ac directe faciat ipsum fieri, quæ non sit per se & directe causa ipsius esse: nam ad illud per se terminatur ipsum fieri: imo non potest aliter ipsum esse primo causari, nisi per fieri. Deus er-

go in primo instanti quo rem creat, est causa esse illius, quia est causa fieri eius, & similiter ignis in instanti, quo generat ignem, causando generationem, dat esse igni genito, vnde est causa esse illius. Ergo ut distinguere possit causa in fieri, à causa ipsius esse, oportet per esse intelligere permanentiam in esse, & sub fieri comprehendere ipsum esse prout simul cum fieri existit: hoc autem modo esse causam in conseruari, sumitur ergo quod probandum est.

Respondetur distinctionem illam non esse eo sensu intelligendam ut argumentum probat, & ipse D. Thom. & Caietanus declarant, quamuis subobscuræ. Ita vero rem intelligendam puto, ut ille effectus dicatur esse à causa in fieri, qui non postulat talem causam simpliciter & absolute ut sit, sed solum ut sit per talem actionem vel effectum: Ille autem dicatur esse à causa directe secundum esse, qui ut sit absolute & simpliciter postulat talem causam. Vt, g. Adam dicitur esse à Deo secundum fieri & esse, quia necessario postulat talem causam ut sit, Abel autem dicitur esse ab Adam secundum fieri, quia absolute non indiget illa causa ut sit, potuisset enim esse à solo Deo, sed solum ut tali modo fiat, scilicet per generationem naturalem. Dices: Eadem ratione dicitur Adam esse à Deo solum quoad fieri, quia potuisset esse ab alio parente per naturalem generationem. Respondetur negando sequelam, quia non potuisset esse ab alio quin esset à Deo. Et hoc sensu recte ibi Diuus Thomas dicit, nullum effectum, qui ab agente recipit formam & esse secundum eandem rationem qua est in causa, esse & pendere à tali causa secundum suum esse, sed tantum secundum fieri, quia aliàs ille effectus ratione suæ formæ essentialiter postulare talem causam: hoc autem esse non potest, quia alias cum forma agentis supponatur effectus eiusdem speciei, eandem causam essentialiter postulare: ergo peteret causari à se, quæ est repugnans. Recte ergo hinc concluditur, solum illud agens quod est superioris rationis, quodque non communicat effectui formam, seu naturam, aut esse eiusdem rationis, sed quandam inferiorem eius participationem esse posse causam suorum effectuum, non solum quoad fieri, sed etiam quoad esse.

Iuxta hanc ergo interpretationem facilis est sensus maioris propositionis assumptæ, & notissima est eius veritas, quia Deus ita est causa suorum effectuum, ut illi ex intrinseca natura & intrinseca necessitate talem causam postulet ut sint, quia ut supra dicebamus, ab illa essentialiter pendet. Et ratio à priori est, quia sola prima causa est ipsum esse per essentiam: omne autem aliud esse est participatio illius esse, & id eo ex intrinseca necessitate postulat influxum ipsius esse per essentiam ut sit. Quæ ratio non solum videtur probare, Deum esse causam suorum effectuum directe secundum esse eorum, sed etiam solum Deum esse hoc modo, causam cæterorum entium, quia nullum ens ita fit ab alia causa creata, ut absolute & simpliciter illa indigeat ut esse recipiat: nam posset esse ex influxu solius Dei sine alia causa, quamvis non è conuerso.

Et hoc quidem verum est, simpliciter loquendo, & de absoluta necessitate, tamen secundum quandam participationem, & iuxta quendam naturæ ordinem dicuntur quædam causæ & quicquid causæ per se effectum directe secundum esse eorum, quia forma talis effectus secundum totam latitudinem suam pendet per se primo à tali causa, & ab ea potest secundum totam suam speciem fieri, & iuxta naturæ ordinem ita fieri postulat. Et hoc modo sol est causa luminis, sub sole comprehendendo quicquid naturam eius participat quantum ad proprietatem lucis; sic enim dixit Aristoteles secundo de Anima, ignem illuminare ut participat naturam cæli. Et è conuerso lumen ut sic postulat naturam suam talem causam

nam ut sit iuxta naturalem causarum ordinem, quāvis absolute possit à Deo fieri. Deus ergo vel solus, vel maxime est causa suorum effectuum, non solum quoad fieri, sed etiam quoad esse directe ac per se primo.

Rursus hinc facile etiam constat sensus minoris propositionis assumptæ, scilicet, causam effectus non tantum secundum fieri, sed etiam secundum esse, esse causam eius etiam quoad conservari: sensus enim est, quodcumque effectus ita procedit à causa, ut simpliciter, & absolute necessitate illam postulet ut sit, non solum pendere ex actuali influxu eius ut primo recipiat esse, sed etiam ut in illo duret ac persevere, quod est pendere in conservari. Huius autem propositionis ita declaratae duas probationes elicio ex D. Thoma supra; Prima est, quia quando aliquid est causa effectus in fieri, non potest manere ipsum fieri cessante actione talis causæ: ergo quando aliquid est causa effectus directe ac per se primo secundum esse illius, non potest manere ipsum esse talis effectus cessante actione causæ; quod est pendere in conservari ab illa. Quæ consequentia solum nititur in quadam paritate & proportionem, & ideo non est tam evidens. Posset enim quis dicere, maiorem vel immediatiorem esse dependentiam ipsius fieri ab actione causæ, quam ipsius esse: quia semper esse pendet media actione fieri autem immediate per se ipsum, quia non distinguitur ab actione. Sed nihilominus consequentia est optima, parum enim refert, quod dependentia sit æque immediata in dicto sensu, id est, per aliam actionem, vel per se ipsam, dummodo sit æque essentialis. Tam essentialiter autem pendet esse participatum ab esse per essentialiam, quam pendet quodlibet fieri à suo agente: ideoque manere non potest sine actuali dependentia seu actione.

Et confirmatur ac declaratur; nam si tale esse ratione sui solius, postulat influxum primi agentis ut sit aliquando in rerum natura: ergo quodcumque est, eundem influxum postulat, quia semper est idem, & quod per se primo ei convenit, semper convenit. Tandem confirmo, vel permanentia in esse, est aliquid supra ipsum esse, ut quidam volunt, vel nihil est præter ipsum esse eodem modo se habens. Primum, licet falsum sit; tamen ex eo necessario sequitur illā permanentiam debere esse à Deo, quia nihil quoquo modo sit, potest esse sine illo. At vero, si secundum, quod verum est, supponatur, procedit alia ratio facta, quod quidquid illud esse ab intrinseco, & absolute necessitate postulat, ut primum sit, postulat ut permaneat in esse, quamdiu est, quia semper est idem & eodem modo se habens.

Altera probatio ex D. Thom. est à posteriori quidem & à signo, sed ut opinor, evidētissima intellectui bene disposito; nam videmus pendere à sole in fieri & in conservari, quia sol est causa superioris rationis, & secundum quandam participationem est causalitatis non solum secundum fieri, sed etiam secundum esse, ut declaratum est: Sed multo essentialius pendet quodlibet ens creatum à Deo, quam lumen à sole, multoque inferior participatio est divini esse, quam lumen sit lucis solis: ergo multo magis pendet in conservari ab illo.

Ultimam rationem possumus in hunc modum con-
firmare: nam duobus modis possumus intelligere res omnes, ut permaneant in esse pendere à Deo, primo permissivè (ut ita dicam) quia nimirum tamdiu manent in esse, quamdiu à Deo permittuntur manere, id est, non privantur suo esse ab illo à quo privari possent: secundo positivè, id est per actualem influxum in ipsas. Iam igitur argumentor: Evidens est res omnes pendere seu conservari à Deo saltē primo modo, sed non possunt illo modo pendere, nisi pendant etiam posteriori modo: ergo. Maior probatur, quia ad omnipotentiam Dei pertinet ut res quas cōdidit, possit in nihilum redigere si velit: ergo ut con-

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

serventur in esse, saltem necessaria est eius permissio, quæ in hoc solum consistere potest, ut non velit eas in nihilum redigere, cum possit. Consequentia est clara, & antecedens patet ex ipsis terminis: quia non esset Deus perfectus dominus omnium rerum, si non posset de eis disporre prout veller. Minor autem probatur, tum quia multæ sunt res, quæ non possunt privari esse per contrariam actionem, ut angelus, & aliæ res simplices, tum etiam, quia omnis positiva actio necessario tendit ad aliquod esse: unde, si Deus semper indigeret actione ad destruendas res, nō posset eas annihilare: ergo ut hoc possit, necesse est, ut per solam abstractionem actionis, vel influxus possit eas annihilare. Hoc autem fieri non potest, nisi quantum illæ in suo esse & conservari à tali influxu & actione pendunt: ergo.

Est ergo hæc veritas satis nota naturæ lumine, quam proinde Philosophos etiam agnovisse significat Iustin. Martyr. in orat. Parenetica ad Gent. latiusque confirmat Eugubini. lib. 1. de peren. Philosoph. à cap. 26. & lib. 3. fere per totum, sumiturque ex Platone in Timæo, & ex Aristotele, vel sub nomine eius, in libro de mundo ad Alexandrum, & lib. 12. de divinis sapien. secundum Egyptios, capite 19. ubi dicitur: Ab illo sunt perpetuas, locus & tempus, eiusdemque beneficio permanent, & sicut centrum circuli in se ipso est: linea autem ab eo ductæ ad ambitum, ipsæque ambitus cum punctis in eodem centro existunt: sic quoque nature omnes, tam quæ ad intellectum, quam quæ ad sensum pertinent, in agente primo consistunt & confirmantur. Infra vero inquirens, quomodo res omnes dicantur permanere in primo opifice, cum forma permaneat in materia, & materia in forma, & affectio in subiecto: respondet præter hos modos esse alium, quo res dicitur permanere in alio ut in agente, verbi gratia, lux in lucente, & radius in eo, à quo emanat, & denique qualibet essentia simplex in efficiente: Trismegistus etiam in Asclepio, Deum vocat: Mentem conservatricem rerum omnium, in qua omnia vivunt atque subsistunt. Seneca etiam libro de Consolat. ad Polybium, Deum vocat: Causarum causam custodientem & regentem omnia: qui multa etiam ad hanc rem habet in libro de Providentia. Denique Theologi ita sentiunt de hac veritate naturali, eamque aliis rationibus suadent, & exemplis declarant, ut videre licet in Bonaventura in 1. distinctione 37. articulo primo, quæstione prima. Gregorius in 2. dist. 3. quæst. 1. art. 3. Alen. 1. part. quæst. 10. membr. 2. & 3. Hieronymo in tractatu de eternitate mundi, quæst. 6. & aliis, quos secl. sequent. referam.

Soluntur rationes dubitandi.

Ad primam rationem dubitandi, patet responsio ex dictis: nam eadem indigentia, quæ est in esse creaturæ in primo instanti quo fit, ut sine alterius actione esse non possit, est in illa quamdiu permanet in esse. Quia cum ratione sui esse præcisè, & quantum tale est, indigeat creatura divino influxu ut sit, quamdiu est, eodem influxu indiget. Neque illa conservatio dici proprie potest iterata collatio eiusdem esse, sed sicut ipsum esse non est iteratum esse, sed est unum esse quod idem permanet: sic etiam influxus quo res conservatur est idem seu eadem collatio eiusdem esse, ut sequente sectione amplius explicabimus. Nec vero est superfluous, quia sine illo non sibi sufficerent res creatæ ut sustentarentur in esse. Quapropter deficiente hoc influxu, statim in nihilum redigerentur, non quia ipsæmet res creatæ se ipsas privarent suo esse: id enim repugnans est, sed quia ab autore sui esse, illo privarentur, non per actionem contrariam, sed per suspensionem actionis necessariæ ut esse possent. Et quoad hoc, eadem est ratio de entibus incorruptibilibus: illa enim licet secundum potentiam intrinsecam, & in ordine ad naturalia agentia, dicantur entia necessaria, non tamen in ordine

XV.
Veteres Philosophi deprimam creaturam à Deo in conservatione cognoverunt.

XVI.

Tt 2 dine

dine ad extrinsecam potentiam Dei, à qua semper ac continuè pendunt in suo esse. Vnde licet dicantur per se esse in ordine ad intrinsecam causam, quia non per formam distinctam, sed per se habent esse in quo subsistant, quod maxime verum est de immaterialibus substantiis, tamen in ordine ad causam extrinsecam non conuenit illis per se esse, sed per superiorem causam, & dependenter ab illa.

XVII.
Secunda.

Ad secundum responderetur, ex utroque capite ibi proposito sufficienter colligi hanc veritatem. Primum enim ad amplitudinem diuinæ potentie spectat ut nihil sit, neque alio momento esse possit absque influxu eius. Ad eandem item pertinet plenum dominium omnium rerum creaturarum, & intrinseca potestas annihilandi eas, per suspensionem sui influxus. Quocirca in humano artifice vel etiam in naturalibus agentibus vniuocis, quod possint efficere effectus, qui cessante actione sua in esse permaneant, non est perfectio simpliciter, sed supposita aliqua imperfectione; nimirum in artifice quod non possit efficere rem aliquam secundum proprium esse, & entitatem eius, sed solum secundum quandam formam & figuram consurgentem ex situ & ordine talium rerum, qua imperfectione supposita, pertinet ad industriam artificis, res componere ex talibus rebus, tali ordine ac dispositione, ut firmiter coherant, & stabiles sint. In agente autem naturali supponitur, verigratia, quod de se sit agens vniuocum, quod non pertinet ad perfectionem simpliciter: nam ceteris paribus multo excellentius est agens, quod ex se est eminentioris ordinis, quam effectus, illumque eminenter continet. Tamen, supposita illa imperfectione, quod causa est eiusdem rationis & ordinis cum effectu, pertinebit ad perfectionem non simpliciter, sed illius ordinis, ut possit effectum æquè perfectum ac permanentem efficere. Rursus etiam colligitur necessitas conseruationis sufficienter ex imperfectione creati esse, nam si ex se tale esset ut posset vel per momentum permanere sine actuali influxu primæ causæ, etiam in primo momento, vel in ipsa æternitate esse posset sine tali influxu, neque ex intrinseca ratione sua postularet dependentiam ab alio, quod est proprium esse infinite perfecti.

XVIII.

Ad exempla vero, quæ ibi afferuntur, primum responderetur, quod licet non quælibet inæqualitas effectus ad causam sufficiat, ut effectus pendeat in conseruari; tamen hæc inæqualitas quæ est inter esse per essentiam & per participationem, seu inter esse independentem, & illud quod est essentialiter dependens, sufficit, ut hoc non possit sine illius influxu conseruari. Petitur autem in illis exemplis, ut explicemus quando effectus pendeat in conseruari à causa creata. Sed hoc declarabimus commodius in sect. 3.

SECTIO II.

Quenam actio sit conseruatio, & quomodo à creatione differat.

I.



In hac re est prima sententia Henrici quodlibeto 1. quæstione 7. afferenti in omni rerum productione, & conseruatione intercedere duas actiones. Vnam qua res acquirit esse, aliam qua conseruatur in esse, ex quibus illa præcedit, hæc subsequitur. Idem quodlibeto 9. quæst. 1. Aureol. & Gregor. infra citandi. Fundamentum esse videtur, quia actio qua rei confertur esse est subita, & indiuisibilis, & carens duratione seu permanentia, & ideo statim præterit, eique succedit actio qua res conseruatur in esse: nam conseruatio est actio permanens. Et confirmatur primo, quia si res eadem actione conseruaretur qua fit, semper quamdiu est, esset in quodam continuo fieri, quia primum fieri continuo dura-

ret. Consequens autem videtur valde absurdum, nempe quod res substantialis & permanens, sit in continuo fluxu. Confirmatur secundo, quia sæpe videmus rem ab vna causa produci, & ab alia conseruari: ergo tunc necesse est, distinguere conseruationem à productione: ergo & semper distinguuntur. Vltimo id confirmat ex August. libro de Anim. immor. cap. 8. vbi de Deo sic scribit; Hæc vi & natura incorporea effectrix corporis vniuersi, Præsentia potentia tenet vniuersum: non enim fecit, atque discessit, effectumque deseruit, & infra; Illa effectrix vi vacare non potest, quia, quod ab ea factum est, tueatur, & specie carere non sinat, quæ est in quantumcumque est: quod enim per se non est, si deseratur ab eo per quod est, profecto non erit, & cetera. Alia argumenta pro hac sententia refert ex Aureolo Capreol. in 2. dist. 1. quæst. 2. art. 2. in arg. cont. 3. concl. Alia etiam affert Gregor. in 2. dist. 1. quæst. 6. conclus. 4. Sed ea omitto, quia non habent specialem difficultatem.

Secunda sententia est, conseruationem non esse aliam actionem à creatione secundum rem aut modum realem, sed solum connotatione quadam a negatione inclusa, seu ratione distingui, nam creatio dicit effectum rei, connotando, quod antea non fuerit; conseruatio autem dicit eandem effectum connotando quod res antea iam fuerit. Hæc est sententia Diui Thomæ prima parte, quæst. 104. art. 1. ad quartum, & de potent. quæst. 3. art. 3. ad 6. & quæst. 5. art. 1. ad 2. & hanc sequuntur communiter Thomistæ, Heruzus tract. de æternit. mundi quæst. 1. Agid. de ent. & essent. quæst. 7. Ferrar. 3. contra Gentes cap. 65. Capreol. supra, qui refert specialiter contra Henricum, Bernardum de Ganaco, quodlibet. 1. quæst. 7. Et hæc sententia, per se loquendo, vera est, vitamen amplius explicetur, distinctio quadam adhibenda est.

Quæstionis resolutio.

Contingit enim interdum rem ab eadem omnino causa conseruari, à qua fit; interdum verò à diuersis, vel quia effectio fit ab vna cum adminiculo, vel concursu alterius; conseruatio vero fit à sola vna causa, vel è conuerso, quia productio fit ab vna, ad conseruationem autem multæ concurrunt.

Dico ergo primo; Quando conseruatio est ab eodem omnino agente, & cum eodem concursu causæ materiali, vel etiam cum eadem independentia à materiali causa, tunc conseruatio non est alia actio à productione vel creatione, nisi ratione tantum vel connotatione & habitudine. Quo fit, ut formaliter ac per se loquendo, actio & conseruatio non sint in re duæ actiones. Hæc est mens Diui Thomæ. Et probatur, quia nullum est principium sufficiens ad distinguendas illas actiones: ergo sine causa asseruntur distinctæ. Quis enim credat solem, vel lucernam alia actione illuminare hunc aerem, cum primo applicatur, & deinceps? Quid enim fuisset in causa, ut prior actio interruperetur, vel cessaret, ut alia deinde inchoaretur? Rursus deberet prima actio tantum per instantis nostri temporis durare, quia quæ ratione amplius duraret, semper durare posset: si bsequens actio ergo vel duraret per aliud simile instans tantum, & licet essent duo instantia immediata: vel duraret per totum subsequens tempus, quo res conseruatur, & tunc eadem, vel maiori ratione idem dici poterit de priori actione, & vitabitur illa superflua multiplicatio actionum. Adde quod illa secunda actio inchoanda esset per vltimum non esse, quod est præter naturam talium actionum. Item in visione beata, verigratia, alia esset actio qua beatus primo videt Deum, & qua deinde perseuerat in visione Dei. Et ita prima actio non esset beatitudo, neque de se perpetua, quod est absurdum. Imo hoc admittere in quacunque corporali visione, vel in omni intellectione & volitione est præter omnem rationem, & præter experientiam, quan-